Εὖ πράττειν!

Nobilissime et Amplissime vir, fautor æternum observande,

'S RYKS ARCHIEF

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Non levis est causa non frivola quæ has mihi lineolas ad Nobilit. T. extorquet, eóq nomine παῤῥησίας veniam humanitas tua mihi acclamat. Obijt ante paucas hebdomadas fidelis Christi servus in pago Frimoersheimensi, sito in Pontificiorum quà urbium quà pagorum confinio. Viduæ τοῦ μακαρίτου ex consuetudine hujus Comitatûs et decreto Classis, nisi quid Princeps illustriss. et celsiss. aliter constituerit, annus debetur gratiæ, quem vocant, reliquis Ministris defuncti vices toto hoc anno supplentibus. At sunt qui viâ non regiâ vocationem novi ministri præpropere accelerare gestiunt. Officij autem mei duco in id advigilare ut ἀταξίᾳ hîc eatur obviam. Te igitur, Vir nobiliss., quem bono publico Ecclesiæq saluti destinavit divina benignitas, ad hunc ut scopum unà mecum collimes rogatum summopere velim. Isthoc prævio non dubitaverim quin aptum, vigilantem, ætate, doctrinâ ac vitæ probitate conspicuum virum, qui τῷ τῆς ἀναρχίας ἀνθρώπῳ ejusq satellitibus felici ausu ac successu se opponat, omnium bonorum bono et Ecclesiæ commodo, hoc in loco promotum suo tempore simus visuri. Vale Vir nobiliss. et inter cultores virtutis nominisq tui non falsò cense

dab. Morsæ XV. Calend. Octobr. ∞ Iↄ XL

Nobilit. et amplit. T. addictissimum

Ar: à Goor

91

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2542

92

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2542

Aen Mijn Heere

Mijn Heere Huigens,
heere van Sulichem,
Raet & Secretaris
van S. Hoochts

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2542